

Qui tamen quamdiu in viis Domini ambulavit, tamdiu  
 gratiam, quam de Deo fuerat consecutus, obtinuit: postquam  
 dereliquit Domini viam, perdidit et gratiam Domini, sicut  
 scriptum est: Et excitavit Dominus satanam ipsi Salomoni.  
 Et ideo scriptum est: Tene, quod habes, ne alias accipiat  
 coronam tuam. Quod utique Dominus non minaretur auferri  
 posse coronam justitiae, nisi quia recedente justitia, recedat  
 necesse est et corona. Confessio exordium gloriae est, non  
 meritum jam corona; nec perficit laudem, sed initiat  
 dignitatem. Cumque scriptum sit: Qui perseveraverit usque  
 ad finem, hic salvus erit; quidquid ante finem fuerit, gradus  
 est, quo ad fastigium salutis ascenditur, non terminus, quo  
 jam culminis summa teneatur. Confessor est; sed post  
 confessionem periculum majus est; quia plus adversarius  
 provocatus est. Confessor est, hoc magis stare debet cum  
 Domini evangelio, per evangelium gloriam consecutus a  
 Domino. Ait enim Dominus: Cui multum datur, multum  
 quaeritur ab eo; et cui plus dignitatis adscribitur, plus  
 de illo exigitur servitutis. Nemo per confessoris exemplum  
 pereat: nemo injustitiam, nemo insolentiam, nemo per-  
 fidiam de confessoris moribus discat. Confessor est. Sit  
 humilis et quietus, sit in actu suo cum disciplina mo-  
 destus, ut, qui Christi confessor dicitur, Christum, quem  
 confitetur, imitetur. Nam cum dicat ille: Qui se extollit,  
 humiliabitur, et qui humiliat se, exaltabitur, et ipse a patre  
 exaltatus sit, quia se in terris sermo, et virtus, et sapientia  
 Dei patris humiliavit, quomodo potest extollentiam diligere,  
 qui et nobis humilitatem sua lege mandavit, et ipse a patre  
 amplissimum nomen praemio humilitatis accepit? Confessor  
 est Christi; sed si non postea blasphemetur per ipsum  
 majestas et dignitas Christi. Lingua Christum confessus non  
 sit male dica, non sit turbulenta, non conviciis et litibus perstre-  
 pens audiatur, non contra fratres et Dei sacerdotes, post-